Q. D. B. V.

DE VLTIMA VOLVNTATE ADPROBATIONIS ET CONSENSVS INDIGA,

DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS,

QVAM
EX DECRETO
INCLITI JCTORVM ORDINIS
PERANTIQVÆ HVJVS HIERANÆ,
PRO GRADV DOCTORIS
D. XXVI. MAJ. A. M DCC XLVI.
PVBLICE DEFENDET

JOANNES DAVID STENGER,
ERFORD.

ERFORDIÆ,
TYPIS JO. CHRISTOPHORI HERINGII,
ACAD. TYPOGR.



REVERENDISSIMO
ET
ILLVSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
ANSELMO
FRANCISCO
ERNESTO
LIBERO BARONI
DE WARSBERG,
ECCLESIARVM METROPOLITANARVM ET CATHEDRALIVM MOGVNTINÆ, TREVIRENSIS ET SPIRENSIS CANONICO CAPITVLARI, ET RESPECTIVE PRÆPOSITO AC SVPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFVRTENSIS PROPRINCIPI,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME
ET
ILLVSTRISSIME

PROPRINCEPS,

DOMINE GRATIOSISSIME!



nter virtutes, ſummis, quibus gubernacula imperii concredita ſunt, imperantibus, quam maxime dignas, gratia & juſtitia aliis palmam præripit, gratia enim afflictos erigit, mœſtis præſidio eſt, ac bene merentes condignis afficit præmiis, juſtitia illis, quibus quod ſibi debetur, vel demitur vel non tribuitur ſubvenit, hanc ob cauſſam reſpublica

ejus-

ejusmodi imperantibus gaudentes, non possunt non, quin sibi de fortuna sua quam maxime gratulentur. Ejusmodi fortunæ Erfordia quoque nostra ex eo tempore est compos facta, quo TE, REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PROPRINCIPEM *in amplexus suos recepit, siquidem nihil eorum intermisisti, quæ ad salutem patriæ conservandam & amplificandam spectant, adeo ut salus nostra publica quotidie majora capiat incrementa, ita, ut qui numerum earum, quibus emines virtutum recensere velit, eodem modo temerarium susciperet laborem, uti ille temeritatis notam incurreret, qui stellarum numerum inire vellet. Hæc mecum devoto sub pectore perpendens, & exploratum habens, omnium virtutum cumulum, in pectore* TVO, *quo nihil est augustius, sedem perpetuam fixisse, illarum admiratione captus, a me impetrare non potui, quin theses meas, arido licet pumice exaratas, summa mentis devotione* TIBI *offeram & ad pedes* TVOS *deponam, sperans, fore, ut conatum hunc in meliorem interpretaturus sis partem, rogansque simul, velis hasce theses, ut obsequii humillimi tesseram acceptare, illasque* TVA *tutela dignari. Quibus impetratis, sempiternas ad Deum fun-*

dam

dam preces, ut servet TE REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PROPRINCIPEM, *ut summæ virtutis ingens dulcissimumque spectaculum, in Nestoreos, quos bene mereris, annos, salvum ac incolumem, quo fiet, ut subditorum salus ad summum fastigium perducta,* NOMINI TVO ILLVSTRISSIMO *aere perennius monumentum sit insculptura, quod in votis habet*

REVERENDISSIMI
ET
ILLVSTRISSIMI
NOMINIS TVI

cultor humillimus

JOAN. DAVID STENGER.



DE

VLTIMA VOLVNTATE ADPROBATIONIS ET CONSENSVS INDIGA.

PROOEMIVM.

Germani ſi perſtitiſſent in ſimplici illa ſanæque rationi maxime convenienti ſuarum ſucceſſionum formula, quam TACITVS tradit *de Mor. Germ. C. 20. §. 6.* in verbis: *heredes ſucceſſoresque ſui cuique liberi & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt proximus gradus in poſſeſſione fratres, patrui, avunculi,* & hodie vacui eſſemus innumeris illis litibus, quarum quidam teſtamenta haut absque rationibus farraginem appellant; quum autem hic litium fomes non potuerit non unacum illa ſat

grandi jurium Latii nube, qua tandem effe-ctum, ut Germania, ſcriptarum olim legum de-fectu laborans, nunc earum graviſſima mole prematur, teſte CONRING. *de Or. Jur. Germ. C.34.* in fora eorum, alioquin omnium amba-gium inimica, irrepere, patriaque noſtra ſibi in peregrinis hiſce juribus placeat, prima ubique eſto cura ſecernendi & ſeparandi inſtituta ab invicem, quo Romana Romanis & Germanica Germanicis decidantur & judicentur ex fonti-bus, ideo & teſtamenta, quæ ex opinione inſi-gnis illius patrii juris ſcrutatoris & reſtauratoris SCHILTERI *Exerc. ad D. 2. §. 14. Ex. 8. §. 49. Ex. 9. §. 8. 9.* ante ſeculum quintum deci-mum in Germania ferme ignorata ſunt, tam-quam inſtitutum Romanum, ex alio quam Ro-mano jure æſtimari nequeunt, ſalva tamen ubi-que differentia, qua patrimonium civis Roma-ni & Germani nimium quantum diſcrepant, ac proinde Imp. Maximil. I. in Ordin. Notar. de an. 1512. notarios ad nulla alia niſi Latii jura in conficiendis teſtamentis ablegare potuit, quæ & prima ſunto norma, ad quam opuſculum hocce conſtruatur.

§. I.

§. I.

De Etymologia inſcriptionis & quid ſit, de quo hic agendum, quædam diſpicere & definire methodi rationes jubent. Rubrum ipſum docet, ultimas voluntates, omneque quod earum rationem habet, objectum tractationis eſſe. Haut inconcinne deſcribenda videtur ultima voluntas generatim, quod ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, ut dicit *L. 1. de teſtam.* quamquam hæc L. ſolummodo teſtamenta in ſpecie ita definiat, ex quo conſequitur, hic non ſolum de teſtamentis, quatenus in ſtrictiori ſignificatu accepta, codicillis aliisve diſponendi modis minus ſolennibus opponuntur, ſermonem eſſe. Quot ſint ultimarum voluntatum ſpecies, diſcrepant admodum Dd. GIPHANIUS *ad L. ult. C. de Codic.* de denario earum numero, ſed absque fundamento perſuadere vult, hoc tamen certiſſimum, omnium ultimarum voluntatum primariam ſpeciem eſſe teſtamentum, in quo definiendo poſt tantos interpretum greges deſudare idem eſſet ac ſidera addere cœlo. In genere autem deſcribitur, quod ſit legitima declaratio de futuro herede a teſtatore habili facta, heredis enim inſtitutionem eſſe animam & characterem teſtamenti, eaque corruente & reliqua ejusdem capita corruere, nec dupondios latet, æque ut variæ teſtamentorum diviſiones, quarum ſecundum jus novum, (nam tempore originis teſtamentorum hæc diviſio monſtro haut abſimilis fuiſſet, ex rationibus, quas habet BYNCKERSH. *Obſ. II. 2.*) facile prima eſt in publica & privata, prout nempe illa fide & autoritate vel publica vel

privata nituntur, quarum illa in principe & magiſtratibus a principe creatis conſpicua, hæc autem in honeſtis viris publicum officium haut adminiſtrantibus quærenda, proindeque teſtamentum publicum ex jure Codicis, nam in D. hujus teſtamentorum ſpeciei nec vola nec veſtigium extat, eſt quod aut principi offertur ab eoque acceptatur, prout ſancitum in *L. 19. C. de Teſtam.* aut actis judicii inſinuatur, hoc Dd. vulgo vocant oblatum illud inſertum, quod precibus principi oblatis inſeratur, eaque & absque teſtibus ſummi ſunt valoris, nam teſtes non ſunt neceſſarii ubi publica monumenta ſufficiunt *L. 31. in f. de donat.* quam ob cauſſam hæc *L. 19.* nervoſe dicit ea ſuperare omnium teſtamentorum ſolennitatem. Ex his prono fluit alveo teſtamenta privata eſſe, quæ fiunt coram privatis hominibus, eorumque fide ſubſiſtunt, eaque ſubdividuntur in ſolennia & ordinaria, ad quorum confectionem omnes a lege præſcriptæ ſolennitates ſtricte obſervandæ requiruntur, quorum formulas ex jure Rom. exhibet Ordinat. Notar. de an. 1512. & minus ſolennia ſ. privilegiata, quibus vel omnes vel quædam ſolennitates remiſſæ, eorumque auctoritas privilegio in legibus ſtabilita eſt, *L. 21. §. 1. C. de Teſtam.* quo ſpectant teſtamenta militaria, parentum inter liberos, ad pias cauſſas &c. Nec plane omittenda differentia, quam leges loquuntur inter teſtamentum proprie tale, quo indigitatur ipſa teſtatoris voluntas, & improprie tale, quo nomine veniunt ipſæ tabulæ & inſtrumentum, quo continetur illa voluntas, qui ſignificatus eſt in toto fere titulo de teſtam. aper. item quando dicitur teſtamentum deleri induci aut can-

cellari

cellari *L. 2.3. D. de his quæ in testam. del.* Deinde sub nomine ultimarum voluntatum & reliquæ species dispositionum mortis caussa veniunt, quales sunt codicilli, in quibus pleraque, quæ in testamentis disponi possunt, excepta maxime heredis institutione directa. Huc etiam pertinent legata & fideicommissa, quæ sunt quando vel tota hereditas aut ejus pars vel quota vel quanta verbis precativis ab herede directo relinquitur, quod dat differentiam inter fideicommissa universalia & particularia, *§. 10. J. de fideic. hered.* quæ iterum sunt vel expressa vel subintellecta, sub prohibita nempe rei extra familiam alienatione *L. 38. §. 1. 2. 3. de legat. 3.* quarum specierum vero nulla confundenda est cum illis, quæ vulgo inter Germanos pro fideicommissis habentur. Porro in hunc censum venit mixtum illud negotium, partim de natura actuum inter vivos, partim ultimarum voluntatum quædam trahens, nempe donatio m. c. quæ est quando quis mortalitatis cogitatione rem quamdam in alterum consentientem transfert. Nec usu caret communis omnium ultimarum voluntatum divisio, quod sint vel perfectæ, s. quæ requisitis in legibus solennitatibus & forma instructæ, vel imperfectæ, quæ his requisitis destituuntur, proindeque vel validæ vel invalidæ sunt, ex communi illa regula: forma dat esse rei *L. 12. C. de Testam.* Tandem adprobare idem est ac animi sui sententiam declarare, de re aliqua hactenus gesta, simulque significare, quod in eadem acquiescere velimus, s. adprobatio est acceptatio spontanea alicujus rei. His in unum collectis, adprobationem ultimæ voluntatis definio, quod sit actus, quo

quis declarat, quod ultimam voluntatem ratihabere, acceptare, eidemque satisfacere velit. Quamvis & ad hanc adprobationem consensus adprobantis in genere accedat, necesse sit, attamen consensus hoc loco majoris ponderis caussa separatim positus magis urgens quid continet, adprobatur enim id, quod quidem per se subsistere posset, sed effectum habere nequit, nisi alter conditionem oblatam acceptet, & adprobans nullum jus habet contradicendi, s. impediendi, quo minus alter disponat de re sua, quamquam in ejusdem arbitrio sit positum, oblatum sibi favorem aut injunctum onus vel adprobare, vel repudiare: econtrario deficiente consensu ad ultimæ voluntatis confectionem necessario, hæc ultima voluntas statim ab initio nulla est, nisi forsitan suppletus ille consensus retrahatur ad tempus initii. Sic consensus curatoris in testamentis fœminarum ex statutis quorumdam locorum caussa est, sine qua fœminæ non possunt valide testari, eodem fere modo ut v. g. nuptiæ filiifam. Romani absque patris consensu contractæ plane nullæ & illegitimæ erant, nec effectum producebant *L. 25. D. & 12. C. de rit. nupt.* porro adprobant plerumque ii solum, qui immediate per testamentum aut honorati aut onerati sunt, consensus vero regulariter a tertia quadam persona requiritur, consentire enim is dicitur, qui quando actum prohibere potest, illum non prohibet *arg. L. 2. 3. D. de nox. act. L. 83. §. 7. D. Locat.* & consensus frustra requiritur ab eo, quo etiam invito, actus perfici potest *L. 3. D. de R. I. L. 101. pr. de condit. & demonstr.* exempla rem declarant.

§. II.

§. II.

Quum igitur omnis adprobatio dependeat non nisi a libera adprobantis voluntate *L. 20.* pr. *D. de acqu. vel omit. her.* hujusce voluntatis declaratio accedat necesse est, quæ est vel expressa, vel tacita, & exinde oritur adprobatio vel expressa vel tacita. Illa est, si quis disertis verbis declarat, se ultimæ voluntati satisfacturum, sic si heres ex minus solenni s. injusto testamento stipulantibus fideicommissariis & legatariis promittit solutionem legatorum vel fideicommissorum *L. 23. C. de fideic.* aut actionem sibi contra testamentum competentem transigendo remittit, quod fit in herede, qui remoto testamento, ab intestato successurus esset, sed qui in ipso testamento institutus est. Tacita adprobatio est, quando quis hanc adprobandi, ratihabendi adimplendive intentionem factis exprimit, intuitu quorum maxime respiciendum, num sint concludentia, i. e. quæ in aliam partem trahi nequeunt, qualia esse perhibentur, si quis ex ultima voluntate debita solvit *L. 8. §. 1. C. de inoff. testam.* Idem & de eo dicendum, si legatarius ad certam quantitatem vel speciem restituendam a testatore condemnatus, legatum, cui illud onus inhæret, exigit, quo ipso ad hoc præstandum validissime obstringitur *L. 70. §. 1. D. de leg. 2.* MENOCH. *Conf. 206. n. 95.* & in genere de omni eo, qui legatum vel fideicommissum intestamento relictum sibique oblatum acceptat, aut etiam nomine alieno ex libera voluntate petit, *L. 8. §. 10. L. 10. §. 1. L. 32. D. de in off. testam.* Hanc inter expressum & tacitum differentiam leges aperte loquuntur in successione tam testamen-

ſtamentaria quam legitima, nam heredi ſuo, licet ipſo jure acquirat hereditatem *§. 2. J. de hered. qual & diff. L. 11. D. de lib. & poſth.* ex æquitate datum eſt, aut facto ſuo hereditatem ſuſcipere & retinere, quod dicitur immixtio, vel eadem abſtinere *L. 12. 71. §. 4. D. de acqu. vel omit. her.* itidem heres extraneus acceptat hereditatem vel expreſſis verbis *L. 77. D. de R. I.* quod vocatur in ſpecie aditio, vel facto, quod dicitur pro herede geſtio, *§. ult. J. de her. qual. & diff.* utrique tamen integrum eſt oſtendere, facta ſua non eſſe concludentia, ſed alio quam heredis animo peracta, ita filio paternæ hereditati pro conſervandis bonis maternis inſiſtenti, Taciturnitas medium iter duo extrema, conſenſum & contradictionem *L. 142. D. de R. J.* hic regulariter non ſufficit, ſed vera declaratione opus eſt, niſi forſan eo referas, quando accedit lapſus termini legibus definiti, ut in querela inofficioſi lapſus quinquennii,

§. III.

Et poteſt & debet adprobari ordinarie omnis & quæcunque ultima voluntas, nam eſt unilateralis, ideoque, ut ex infra dicendis patebit, nullus teſtator cogere poteſt heredem aut quemcunque aut honoratum aut oneratum ad ſequendum ultimum ſuum judicium *L. 16. C. de jur. delib.* ſed, ſi illi exinde obligandi ſunt, non poteſt non id fieri ex accedente ſua voluntate obligatoria ad ſatisfaciendum teſtatoris voluntati, quippe quibus integrum eſt, oblatum lucrum quodcunque, aut injunctum onus, vel agnoſcere & acceptare, vel repudiare.

§. IV.

§. IV.

Quænam ſint perſonæ adprobantes, inquiſituris attendendum eſt, hic plane non quæri de teſtatore ſ. diſponente propriam voluntatem adprobante, quæ quæſtio inutilis eſſet, niſi quis huc referre velit caſum, quando is, qui teſtamentum alienum conſcribit, ſibi ipſi adſcribat legatum, quippe quod a labe falſi, non niſi ſpeciali teſtatoris adprobatione ſubſcripta vindicatur, de quo *t. t. C. de his, qui ſibi adſcrib. in teſtam.* ſed potius omnis ille huc pertinet, qui in ultima voluntate aut honoratus aut gravatus eſt, quippe a cujus libero dependet arbitrio, ſe teſtatoris voluntati vel ſubjicere vel ſubducere, *L. 20.* pr. *L. 88. D. de acqu. vel om. her.* quod optime cohæret cum regula: illius eſt velle, qui poteſt nolle *L. 3. D. de R. I.* Adſerto quidem huic maxime obſtare videtur inſignis ille teſtamentorum favor, de quo magno cum pondere pronunciat CICERO *in Phil. II. circa fin. inter publicas hominum actiones firmiſſimam legem eſſe, inter privatas ſanctiſſimum teſtamentum,* quid quod *Nov. 22. C. 2.* vim legum ipſis teſtamentis tribuit, & rei intereſſe publicæ, ſuprema hominum judicia ſortiri exitum, aſſeritur *L. 5. D. teſtam. quemadm. aper.* At enim vero in propatulo eſt, ultimas voluntates legem imitari maxime in herede neceſſario, quales olim ſervi & ſui erant, quippe quibus ſummum erat nefas opponere ſeſe voluntati dominorum aut patris: ipſum autem nomen heredis voluntarii oſtendit, in hoc plane aliud obtinere, quippe cujus libertati voluntatem defuncti ſpernendi ſuoque forſan favori renunciandi in legibus expreſſe cautum, atque ex ea-

dem ratione legatarii arbitrio relictum est, s. adprobet & acceptet legatum s. illud repudiet, *L. un. §. 11. C. de caduc. toll.* Quodsi vero ultimæ voluntati intuitu heredis voluntarii s. alius honorati vim & effectum legis tribuere libeat, non nisi post factam adprobationem hoc fieri potest, post quam quod ab initio voluntatis erat, necessitatis effectum est sec. *L. 17. §. 3. D. commod. vel contra.* idque eadem ratione, qua omnibus conventionibus vis legis attribuitur, intuitu nempe promanantis exinde obligationis, nam qui semel lucrum ex ultima voluntate acceptat, ad onus eidem connexum sese obstrinxit, ut ex superius dato exemplo legatarii per adprobationem legati ad subeundum majus etiam incommodum se obligantis apparet. Adprobant etiam quandoque personæ in ultima voluntate maxime imperfecta directo nec honoratæ nec gravatæ, sic heres, qui præter testamentum invalidum ab intestato ad successionem vocaretur, illud adprobando heredem testamentarium ad successionem admittit, quem improbando & jure suo utendo ab eadem excludere posset, utrumque & expresse & tacite fieri potest, v. g. si ab herede testamentario exigat, quod ipsi a defuncto debebatur, eo ipso illum qua talem agnoscit.

§. V.

Quum in jure plerumque maxima & minima in plurimis quæstionibus a regula recedant, prout docet Ill. BOEHMER in *Diss. de causs. arduis & maj. C. 1. §. 6.* itaque nec hic inutile est inquirere, ad quam classem hæ adprobationes pertineant, indubitatum autem est, sæpius maximum adprobantis præjudicium subesse posse,

posse, ante omnia ex scitis Romanorum, ex quibus, ut infra ostendetur, adprobatio & aditio quantum minimum differebant & quandoque coincidebant, per hanc autem quis tanquam eadem cum defuncto persona ad quæcunque hujus debita obligabatur; & hodie quamquam multum remissum sit ab antiquo rigore, res ipsa tamen commonstrat, perquam plurimas ex adprobatione in adprobantem redundare posse molestias, quia adprobans simpliciter ex sua adprobatione tenetur, nunc vero ex eo præjudicio caussæ magnæ a parvis discernuntur MENOCH. *de arbitr. jud quæst. Cent. I. Cas. 72. n. 10.* ac præterea inquirere in alienum patrimonium perquam intricatum, involutum molestumque est, ideoque & hic suo modo locum sibi vindicat generalis regula, quod in caussis arduis & majoribus, quibus dubio procul sæpissime hæ adprobationes adnumerandæ, caute & circumspecte agendum sit, quam stabilivit COTHMANN. *Vol. II. resp. 86. n. 16.* adprobationemque fieri debere, probe prius apud animum re agitata & ponderata. Deinde quia est declaratio spontanea, hic absint omnia illa, quæ libertatem & consensum removent; e diametro autem libertati repugnat vis, metus & omnis illegitima coactio, quæ si intervenerit, adprobatio nulla est, eoque minus dubitandum adprobanti per restitutionem in integrum succurri debere, *L. 21. §. 5. D. quod metus caussa. L. 85. D. de acq. vel omit. hered.* eadem ratione & dolus, quo quis ad adprobandum inductus ipsam adprobationem reddit nullam, nec adprobanti deneganda actio de dolo *L. 40. D. de dolo malo.* Denique quum & error repugnet

libertati voluntatis, ut dicit *L. 116. §. 2. D. de R. J. L. 15. de jurisd.* quod errantis nulla sit voluntas, sequitur ultimæ voluntati per adprobationem, cujus caussa est error aut ignorantia, nihil plane accedere roboris, quo spectat si quis ex testamento, cujus nullitatem ignorat, legatum petat, MENOCH. *Conf. 162. num. 30.* quocum convenit *L. 62. D. de cond. indeb.* nec minus ex his concludere licet adprobationem ante inspectas tabulas nullius esse valoris, & *L. 6. D. de transact.* hic habere locum.

§. VI.

Dictum est §. 4. personas adprobantes omnes esse honoratos & oneratos, eorumque classes ipsa ultimarum voluntatum diversitas constituit, utque testamentum inter ultimas voluntates, ita heres inter personas adprobantes eminet. Inter heredes olim primi erant necessarii, quorum duplex est ordo, quidam vocantur necessarii, ratione institutionis, quorum jura & adhuc hodie in usu sunt, quo pertinent liberi absque nullitatis vitio haut prætereundi, alii ratione acquisitionis, in quos sc. hereditas ipso jure absque ullo eorum facto transibat, quales erant servi Romani, quibus nullo modo licebat improbare voluntatem dominorum, sed simplex incumbebat necessitas adprobandi, *§. 1. J. de hered. qual. & diff.* quo eodem jure olim sui utebantur in adprobanda patris voluntate, *§. 2. J. eod.* Sed prætoris beneficio tandem his licebat abstinere *L. 57. D. de acqu. & om. hered.* hic attamen cum limitatione, ut impuberibus hæc abstinendi facultas quandocunque libera esset, puberibus autem non nisi, si se haut immiscuerant

rant, quibus deinde minoribus XXV annis, ſi appetierant damnoſam patris hereditatem, prætor ex generali edicto de minoribus ſuccurrebat. Voluntarii dicuntur & ratione acquiſitionis & inſtitutionis, illimitatumque erat eorum arbitrium vel acquirendi vel repudiandi hereditatem delatam, *§. 3. J. de hered. qual. & diff.* ac de his maxime hic ſermo eſt, nam is dicitur approbare, qui & poteſt improbare.

§. VII.

Heredes porro ſunt vel ex aſſe tales, vel ex certa portione, intuitu horum notandum, unius vel adprobationem vel improbationem alteri non præjudicare, quia quod omnes tangit ab omnibus debet adprobari, *L. 11. de Serv. ruſt. c. 29. de R. J. in 6.* alteriusque improbantis portio non poteſt non alteri adprobanti accreſcere, *L. 31. 53. §. 1. de acq. vel om. hered.* itidem ſunt vel primi, vel ſecundi ſ. ſubſtituti. Omnis adprobatio fit vel in favorem, vel præjudicium adprobantis, non tertii, fieri enim nequit niſi ſalvo hujus jure, ſic heres inſtitutus aut quicunque honoratus non poteſt adprobare ultimam voluntatem imperfectam in præjudicium heredis ab inteſtato, ad excludendam ſucceſſionem legitimam. Omnibus in univerſum adprobantibus, ſ. ſint heredes, ſ. legatarii, fideicommiſſarii aut donatarii m. c. hæc poſita lex eſt, ut adprobationi vel improbationi ſuæ nullo plane modo contravenire queant, nam ſemel adprobatum non poteſt amplius reprobari, *L. 9. D. de neg. geſt.* & quod quis ſemel improbavit adprobare deinde nequit, *L. 62. D. de ſolut.* itaque herede inſtituto ultimam voluntatem impro-

bante, successio ab intestato statim locum habet contra testamentum destitutum, nec ille in praejudicium heredum legitimorum voluntatem suam postea mutare potest.

§. VIII.

Adprobationis igitur naturalis est effectus, ut adprobans teneatur simpliciter adimplere voluntatem adprobatam, non solum quoad favorabilia, sed & quoad annexa utplurimum odiosa & onerosa, & vi agnitionis adstringatur necessitate iuris, ad omnia ea subeunda, quae in adprobata voluntate ipsi imposita sunt. Exinde necessario fluit nexu, ad adprobationem ultimae voluntatis accedant omnia ea requisita, quae adhibenda sunt in adprobante quocunque modo obligando, ideoque is tantum adprobat, qui aliis valide sese oblingare & vult & potest, quae potestas ex legibus judicanda. Quum igitur in illis haut exiguus personarum numerus inveniatur, quae potestate sese obligandi admodum restricta utuntur, quaedam earum sunt in medium producendae. Inter omnes eminet pupillus, qui absque auctoritate tutoris nullo modo obligatur, ideoque & deficiente hac, nec potest adprobare vel agnoscere ultimam voluntatem, *L. 8. D. de acq. vel om. hered. §. 1. J. de auctor. tut.* Porro quibusdam per curatores angusti satis limites se obligandi sunt praescripti, ergo nec hi praeter consensum curatorum valide adprobant ultimam voluntatem, huc pertinent minor, prodigus autoritate judicis pro eo declaratus, item foeminae iis in regionibus, in quibus curatore ipsis opus est ad perfecte sese obligandum, ut in Saxonia sancitum *Part, 2. Const. 15.* vid. CARPZ. *ib. Def. 5. seqq.* nec generatim ambigendum,

dum, cuilibet adprobanti competere eadem remedia, quibus uti poteſt alias ad infirmandam quamcunque obligationem & læſionem, ita pupilli & minores dubio procul gaudent beneficio reſtitutionis in integrum contra adprobationem in eorum præjudicium factam.

§. IX.

Objectum adprobationis §. I. definitum eſt omnis ultima voluntas, ſub qua intelligitur omne teſtamentum vel publicum vel privatum, ſolenne & minus ſolenne, ſ. ſit perfectum ſ. imperfectum, in qua perfectione dijudicanda reſpiciendum maxime a) ad teſtatorem, b) ad modum teſtandi, c) ad ipſam voluntatem, d) nec non ad qualitatem bonorum, de quibus per ultimam voluntatem ordinatum eſt. Ratione adprobationis inter perfectum & imperfectum nullum eſt diſcrimen, modo quis per priora ſciens & volens adprobaverit ultimam voluntatem imperfectam, *L. 16. C. de Teſtam.* perindeque eſt, adprobatio ſit vel expreſſa vel tacita, poſthabitis quorumdam obmotis, tacitam adprobationem in imperfectis pro invalida absque fundata ratione habentium, eſt enim taciti & expreſſi regulariter una eademque vis, *L. 13. §. 11. D. locat. cond.* niſi diſerte in legibus aliud ſtatutum ſit, qualis contraria legislatio in hoc caſu inveniri nequit, ſed potius Lex all. 16. indiſtincte & generatim loquitur, nullumque dubium eſt, ultimam voluntatem nullam licet ab herede poſſe adprobari, quatenus nempe favori ſuo renunciare poteſt.

§. X.

Ratione effectus, adprobatio per priora ſit vel in favorem vel in damnum adprobantis, prius evenit v. g.

in

in herede ab inteſtato ſucceſſuro, ſed in teſtamento ſcripto, quod nullo viſibili laborat vitio, quod heres adprobans utiliſſimum habet remedium Legis ult. C. de ed. D. Hadr. toll. eoque mediante, amputatis illis litigiis, quæ ipſi ab inteſtato ſucceſſuro forſitan moveri poterant, levato quaſi velo ad poſſeſſionem hereditatis pervenit. Hoc adprobationum genus ultimarum voluntatum imperfectarum haut ita frequens eſt, quoniam plerumque conjunctum eſt cum præjudicio heredum ab inteſtato, & proinde nullius valoris, frequentior eſt quæ conjunctim commodum & damnum vel in una adprobantis perſona vel etiam legatariorum inſimul ſecum habet, quo referenda cautela, quam ſuppeditat *§. 2. J. de L. Falc.* quamquam hodie propter *Nov. 115.* ex qua legata etiam ab inteſtato debentur, inutilis, quando heres in portione, quam L. Falc. ipſi dat, haut acquieturus ſimulat hereditatem repudiare velle, quo legatarios, quibus in hoc eventu periculum eſſet propter deſtitutionem teſtamenti legata plane amittendi, adigat, ſecum de ampliori et pinguiori portione paciſci. Num ſatis convenienter lex & cautio contra eamdem ſimul a legislatore ferendæ ſint, alii iudicent.

§. XI.

Quia ergo adhibitis legitime requiſitis illis ſupra nominatis, ultima voluntas ab eo, qui liberum ſuarum rerum habet arbitrium, adprobata nec improbari, *L. 2. C. de fideic. L. 16. C. de teſtam.* nec conſenſus declaratus revocari poteſt, *L. 84. §. 9. D. de leg. 1.* inde eſt, ut qui teſtamentum, in quo rite quidem ſed inique & contra pietatis officium eſt excluſus ab hereditate ejus, qui

ei

ei legitimam debet relinquere, quocunque modo ſ. expreſſe ſ. tacite adprobaverit, eo ipso a querela inofficioſi teſtamenti excludatur *L. 8. §. 10. L. 12. 23. 31. 32. D. de inoff. teſtam.* Ad eruendam vero tacitam teſtamenti inofficioſi adprobationem actus maxime urgentes requiruntur, quo pertinet, ſi inique exheredatus motu & nomine aut ſuo aut alieno, ſponte ſua, ex illo teſtamento aliquid petat, *L. 10. §. 1. L. 12. D. de inoff. teſt.* quamquam VINNIUS ad *§. 5. J. eod.* ut & CONNANUS cum ZOESIO aliisque exiſtiment, non cenſeri excluſum a querela hac, qui nomine alieno quid ex teſtamento exigat, quoniam hodie legata etiam poſtquam teſtamentum pro inofficioſo declaratum, nihilominus valeant, quibus ſatisfacit LAUTERBACH. *Exerc. forenſ. 15. §. 8.* Ab hac regula eximendi ſunt, qui non ſponte ſua, ſed neceſſitate officii coacti, aliquid ex eo teſtamento petunt, quales ſunt tutores nomine pupillorum legata exigentes, in his enim duplex perſona eſt conſideranda, nec eis qua heredibus neceſſariis inique exheredatis obeſſe poteſt, quod qua tutores geſſerunt, ac proinde integrum ipſis permanet jus proprio nomine de inofficioſo conqueri, *§. 4. J. de inoff. teſt.* In genere perquam caute procedendum, ſi de adprobatione ultimæ voluntatis ad effectum excludendæ querelæ inofficioſi quæritur, quia hoc inſimul involvit jacturam vel gravamen privilegiatæ maxime portionis legitimæ, ac in dubio licet filius v. g. rebus ſui patris vi diſpoſitionis teſtamentariæ ſe immiſceat, hoc tamen factum cenſendum eſt ſalvo eo jure ex providentia legum ipſi competente & quæſito, GAIL. *Lib. 2. Obſ. 120. n. 12.* nec opus

eſt hoc in caſu proteſtatione filii, quippe quæ regulariter in rebus dubiis obtinet, legitima autem illi debetur non ex arbitrio patris, ſed neceſſitate legis, de quo JASON & ALEXAND. apud alleg. GAIL. a legitima enim quantum fieri poteſt omne onus rejiciendum, *L. 32. C. de inoff. teſt. auth. Noviſſima C. eod.* in quibus ſedes eſt legis de non gravanda legitima. Quid vero dicendum de exheredatione bona mente facta? quæ eſt, ſi liberi non mala mente parentis exheredantur, ſed ex alia cauſſa, ut loquitur VLPIANVS *L. 12. §. 2. D. de bon. libert.* ſ. exheredatio quæ non notæ cauſſa fit ut vocatur in *L. 18. D. de lib. & poſth.* an & hæc teſtamenta tamquam inofficioſa poſſint reſcindi, & ad eorum valorem adprobatio exheredati requiratur, anceps eſt quæſtio, ultimum afferunt BALDVS aliique allegati a BERLICH. *Dec. 110. n. 2.* plerisque in alias euntibus partes, quoniam hic ceſſaret prohibitio gravandæ legitimæ, onusque impoſitum concernat favorem & utilitatem exheredatorum ALCIAT. *L. 1. Præſ. 2. n. 3.* BARRY *de Succeſſ. L. 16. tit. 10. n. 7.* ſi expreſſa non extaret deciſio in *L. 12. 25. C. de inoff. teſt.* non dubitandum eſſet, haut obſtante bona parentis intentione, liberis integrum eſſe querelam inofficioſi movere, quoniam quilibet favori ſuo renuntiare poteſt, *L. 29. C. de pact.*

§. XII.

Teſtamentis aliisque ultimarum voluntatum generibus quum in jure Rom. earum fonte ſplendidus ſatis proceſſus ſit præſcriptus, religioſe & anxie ad unguem usque obſervandus, ſi intentioni diſponentis effectus inſanabilis nullitatis vitio haut impeditus reſponde-

ſpondere debeat, non dubitandum heredem in imperfecto tali teſtamento inſtitutum, aut quemvis alium in quacunque ultima voluntate imperfecta honoratum aut oneratum, voluntatem illam adprobare agnoſcereque poſſe, eique adprobationi ſtare impoſitaque ipſi onera adimplere teneri *L. 16. §. 1. C. de teſtam.* hancque legem de ultima voluntate legibus haut conformi ſed inutili & invalida diſponere, nulla inter adprobationem tacitam & expreſſam admiſſa differentia, tantum non omnes uno ore aſſerunt MEV. *P. 7. Dec. 9. n. 4.* Obſtare quidem videtur huic aſſerto clara deciſio *L. 21. §. 1. cit. tit.* ubi reſcribitur, quod ex imperfecto teſtamento nulla proficiſcatur obligatio, quocum uſus praxisque quotidiana conveniunt STRVV. *S. J. C. Ex. 32. th. 16.* ſed in hac *L. 21.* continetur ſolummodo regula, quam etiam ad ductum rectæ rationis aliam dare non licet, omne enim id, quod ad formam ſui requirit certas ſolennitates in lege definitas, his deficientibus, non poteſt non pro inefficaci haberi ad obligandum, licet alii in foro conſcientiæ nihilominus adeſſe obligationem aſſerant, quos producit BRVNNEM. *ad L. 2. C. de fideic.* ſed hæc regula maxime limitatur in *all. L. 16.* quando nempe heres imperfectum ejusmodi teſtamentum adprobaverit & inſimul favori ſuo renunciaverit, ad quod adimplendum ex adprobatione ſua tenetur. Verum ex his reſultat quæſtio magis dubia, majoribus diſſenſuum nubibus obvoluta, an heres, qui ex tali imperfecto teſtamento unum alterumve legatum ſolvit, etiam ad ſolutionem reliquorum pro obligato habendus ſit. Sunt quidam, qui hanc quæſtionem, ſed haut

fufficientibus ex rationibus, affirmant, propter generalitatem *L. 16. C. de teftam.* absque reftrictione difponentis, & quia adprobatio unius capituli inferat adprobationem alterius. MEV. *P. 7. Dec. 9.* Major eft numerus negantium, quos inter maxime eft SCHWEDER. *in Diff. de agnit. ultim. volunt.* quorum fententia eo redit, majori hic cautione opus effe, & probe ponderandum, quousque facta illa pertingant, nam nullum actum ultra intentionem agentis operari, *L. 3. 8. 9. 19. D. de R. C.* ut clare decifum in alleg. *L. 16. & L. 1. 2. 23. C. de fideic.* quod legata inutiliter relicta eatenus faltem debeantur, quatenus heres ea agnovit, & quod ex facto colligitur non ultra limites illius facti producendum, nec ea, quæ voluntarie gerimus, ultra quam gerimus, extendenda, per alleg. a CEPHAL. *Conf. 377. n. 55.* pofitumque effe in arbitrio heredis, erga quos liberalitatis actum exercere, iisque gratificari velit, *L. 2. §. 2. D. de precar.* Maximum etiam huic fententiæ momentum accedere videtur ex *L. 88. §. 5. de leg. 2.* ubi cafus, quando heres legata ex certo die relicta folvit, antequam venerit dies, & exinde haut teneatur & reliqua ante diem folvere: nec minus eidem patrocinari apparet, quod hi cafus quando heres ex imperfecta voluntate legata aliaque præftat, fecum habeant quædam de renunciatione favoris illius ex lege fibi competentis, a præftatione imperfectorum eorum onerum eum abfolvente, ideoque ftrictius interpretandi. Negantes porro dicunt, quamvis *L. 16.* generatim loquatur, heredem obligari ad implendam agnitam voluntatem ultimam, non poteft tamen non pro materia fubjecta fubintelligi, quatenus

tenus ſc. adprobaverit, erroneumque eſſet ſimpliciter argumentari, quaſi per adprobationem partialem unius alteriusve capituli inducatur adprobatio totius teſtamenti. Atque hæc ſententia ut communis adgnoſcitur in *Conſil. Marpurg. 24. Vol. I. n. 165.* eoque facilius in has partes transeundum videtur aſſentientibus ſententiæ BRVNNEMANNI ad *L 3. C. de Teſtam.* ſtatuentis ex ejusmodi ultima voluntate imperfecta oriri obligationem imperfectam, licet lex ſolummodo non adſiſtat, idque in cauſſa eſſe, quare heres id quod ſolvit, ut indebitum condicere nequeat, & proinde hæc diſpoſitio ultra id, quod ſolutum extendi non poſſit, quam ſententiam & fovet MANTICA *Lib. 2. tit. 14.* communiter quidem Dd. hanc ponunt limitationem in annuis maxime legatis, quod per eorumdem præſtationem triennalem convalidentur etiam quoad futurum tempus propter *L 1. C. de fideic.* ſed plerique adjiciunt limitationem, ſi invaliditas orta ſit ex defectu ſolennitatum atque quæſtio ſit de cauſſa favorabili, ſicuti in hac *L. 1.* de alimentis legatis MENOCH. *L. 3. præſ. 131. n. 5.* SVRDVS *de alim. tit. 8. privil. 22.*

§. XIII.

Atque hæc eſt communis ratio interpretandi & reſtringendi naturam & effectum adprobationis, cui BRVNNEMANNVM ad *L. 3. & 16. C. de teſtam.* habere patronum, facile ſuffecerit, nihilominus tamen ab omni dubitatione haud immunis, cujus quasdam producere rationes haut involupe erit. Ante omnia ſcrutandum eſt diſcrimen, quod ſit inter adprobationem ultimæ voluntatis & acquiſitionem ſ. aditionem hereditatis

 ipſam,

ipſam, prior ſatis ſuperque definita, hanc autem arctiſſimo nexu cum illa cohærere omnes fatentur, & eſt declaratio de ſuſcipienda hereditate delata, eaque mediante quis heres ut una cum defuncto perſona efficitur, atque ad omne ejus æs alienum tenetur, *L. ult. C. de jur delib.* Diſtinguenda ſunt tempora, olim erat actus legitimus & fiebat plerumque per cretionem, vid. VLPIAN. *fragm. Tit. 22. §. 27. ſeq.* AVERAN. *Lib. 1. Interpr. Jur. C. 12. n. 5.* deinde autem cretionum ſolennitate ſublata *L. 17. 18. C. de jur. delib.* dividitur in aditionem in ſpecie talem, quæ verbis, & pro herede geſtionem, quæ factis fit, *§. ult. J. de Hered. qual. & diff.* ſc. illis, quæ alio quam heredis vel domini animo non fiunt, v. g. ſervum hereditarium manumittendo, aut res hered. vendendo, BRUNNEM. *ad L. 1. 2. C. de inoff. teſt.* ideoque cit. §. ult. J. nervoſe dicit, pro herede gerere eſt pro domino gerere; requiritur maxime hereditas delata, quæ delatio in noſtro caſu fit per teſtamentum, & ſemel adita hereditas non repudiatur *L. 10. C. de jur. del.* Adprobationis differentiam maxime in eo quærunt, quod ſolummodo cauſſa delationis maxime imperfecta agnoſcatur & convalidetur, & adprobans ultra id, quod in tacita adprobatione dederit, non obligetur, *L. 1. 2. 23. C. de fideic.* Verum enim vero hoc jamdum quibusdam videretur malam arguere cauſſam, quod de adprobatione agentes plerumque ad leges provocent, quæ aditionem habent pro objecto; porro quum hodie omnes afferant, aditionem ſimplici & nuda declaratione abſolvi, HILLIG. *ad Don. Lib. 7. C. 8.* quis quæſo invenerit differentiam inter expreſ-

ſam

sam testamenti maxime perfecti adprobationem & aditionem, quum & adprobanti a priori recedere non liceat; deinde si adprobatio solum caussam delationis concernat, legibus plane repugnaret, quemquam ex sola delatione obligari, nam hoc est effectus aditionis, quem tamen & adprobationi tribuunt. Quoad tacitam adprobationem major est adhuc ambigendi ratio, & optime hic dici potest cum *L. 2. D. de jur. & facti ign.* quod facti interpretatio plerumque prudentissimos fallat, nec Oedipus sufficeret ad eruendum discrimen factorum, quæ adprobationem, & quæ pro herede gestionem involvunt, qui enim legata & fideicommissa solvit per sanam rationem non alio, quam heredis facit animo, adeoque per priora pro herede se gerit; sed dicis, adprobans obligatur solum quatenus solvit, pro herede gerens autem in totum; verum quoad *L. 1. C. de fideic.* illa adprobationis vulgari effectui magis nocet, & si potest ad communes regulas reduci non est privilegium, *L. 2. 23. eod.* non disponunt de adprobatione testamenti, alias enim heres ex eadem cum legatariis imperfecta caussa talis simpliciter teneretur ad legata, sed potius de legatis & fideicommissis ab herede ab intestato imperfecte relictis, ideoque ex principiis Romanis distinguebant, utrum legata solvere promiserit stipulando, tunc ex *L. 23.* in integrum tenebatur, aut vero nudo pacto vel simplici solutione, tunc ultra data non obligabatur & cessabat condictio indebiti, quia naturalem obligationem ex imperfecto testamento oriri putabant, ita rationes subducit BRUNNEM. *ad L. 23. C. de fideic.* & leges solum non adsistebant

bant teſtamento ex præſcripta forma non compoſito, id. *ad L. 3. in f. eod.* ſed hæc ratio hodie ceſſat, quum eamdem, quam ſtipulationibus tribuant vim, & pactis addicant, & quia taciti & expreſſi idem effectus, heres obligaretur in totum. Hoc eo magis adſerendum ſi cum COLERO *Dec. 68. n. 12.* RICHTERO *Dec. 67. n. 26.* & CARPZ. *P. 3. C 14. Def. 15. n. 13,* ſtatueris hodie vix aditionem hereditatis requiri, quum ferme nullus exiſtat caſus, in quo heredi damnoſa ſit hereditas, & is numquam ultra vires hereditatis teneatur, hoc ipſo confuſa eſſent jura adprobationis & aditionis, & quæ de illa dicta ſunt huic poſſent applicari.

§. XIV.

Lex Falcidia facultatem legandi ad quadrantem usque reſtringit, & heredi permittit quartam partem ut ſalvam habeat, legata imminuere, ſed leges certos eximunt caſus, quibus ceſſaret, inter quos eſt, ſi heres integra legata ſolvere in ſe recepit, idque vel epreſſe, ſi promiſerit Falcidia ſe non uſurum, quod vivo & conſentiente teſtatore, legatariis valide promittebat, ad ductum *L. ult. C. de pact.* non autem ignorante teſtatore. *L. 15. §. 1. D. ad L. Falc.* WISSENB. *ad D. de condit. & dem. n. 24.* ſed mortuo teſtatore ſimpliciter validum erat, *L. 46. 71. D. L. fin. C. ad L. Falc.* vel tacite, quando heres patrimonii vires perſpectas ſatis habet, ſed nihilominus adita hereditate integra ſolvat legata, quo caſu nec ſolutorum datur condictio, quia ſciens indebitum ſolvens donaſſe cenſetur, cujus nulla condictio, *L. 1. C. de cond. indeb.* nec, quod maximum, & reliquis legatariis non detracta quarta integra legata denegat,

per

per *Nov. 1. C. 3.* quia heres per hanc primam ſolutionem ultimam defuncti voluntatem in omnibus adprobaſſe credendus, ideoque & reliquis legatariis ad integra legata tenetur, *Auth. ſed cum teſtator. C. ad L. Falc.* probe autem ponderanda reſtrictio, niſi inopinatum quid emergat, nam omnis adprobatio ſupponit ſufficientem ſcientiam & informationem adprobantis, nec renunciatio ad non cogitata poteſt extendi, prætereaque & ſana ratio ubique ſubintelligit clauſulam, rebus ſic ſtantibus, in jure can. expreſſam, *c. 25. X. de jurej.* Novum ejusmodi emergens eſt æs alienum, quod non niſi poſt factam ſolutionem legatorum ad notitiam heredis pervenit, haut deneganda igitur hoc in caſu heredi repetitio non retentæ quartæ, *L. 9. C. de L. Falc.* Optime autem heres ſibi cavere poteſt per proteſtationem, quæ conſervat jus proteſtantis *L. f. C. de uſur pupill.* MEV. *P. 1. Dec. 14.* & *219.* Quum vero regulariter in dubio a Falcidia ad Trebell. argumentari liceat, nihil obſtat, quo minus quæ dicta jam ſunt de illa, etiam ad hanc poſſint extendi, & eodem modo hæc vel expreſſe vel tacita remitti queat: per generalem ultimæ voluntatis adprobationem non induci nec Falcidiæ nec Trebellianicæ remiſſionem, comuni Dd. calculo probatum, GALERATVS *de renunc. 49. n. 7.*

§. XV.

Titulos ex ultima voluntate acquirendi eſſe vel univerſales vel particulares, ex data earum diviſione §. 1. apparet, inter titulos particulares, ad quos tamquam ſpeciem ſpectare & ea, quæ in genere de quacunque ultima voluntate prolata ſunt, non eſt dubitandi ratio, eminet legatum, in quo proinde communis obtinet

regula, legatarium posse vel acquirere vel repudiare legatum, quod & concludi potest ex definitione legati, quod sit donatio quædam, cujus acceptatio non potest non dependere a nutu honorati, semel vero acceptatum repudiari nequit, maxime si hoc non nisi cum præjudicio tertii fieri posset, ut si v. g. legatario pro certa legata quantitate injunctum, certam quamdam speciem tertio cuidam restituere, quod de omni legatario, qui legatum, cui onus impositum, scienter acceptat asserendum, *L. 94. §. 2. de leg. 2.* Idem multo magis affirmandum de donatione mortis caussa, cui propter adjunctam qualitatem actus inter vivos acceptatio vivo donante accedat necesse est, donatarius itaque onus & conditionem, sub quibus res a donante in ipsum consentientem translata est, nullo modo evitare potest.

§. XVI.

Quæ hucusque prolata sunt, maximam partem spectant ad testamenta & ultimas voluntates vel in genere vel speciatim, quibus de solennitatibus ratione formæ aliquid deest; verum enim vero, hæc scrupulosa anxiaque solennitatum & formularum observatio non absolvit omnia, quæ in condendis ultimis voluntatibus attendenda sunt, sed per §. 9. maxime intuendum in ipsum objectum, de quo ultima voluntas disponit, quæ objectorum diversitas non potest non ex cujuslibet regionis more diversissimum jus intuitu validitatis & effectus ultimarum voluntatum producere, nam obtigit quidem placitis Latii omnem fere Europam auctoritate sua implere, cuilibet tamen regioni singularia sua remanserunt instituta, quæ non nisi ex

propriis

propriis suis principiis judicanda, ideoque ex statu & varietate juris circa res, quo pleræque gentes, maxime Germania nostra, utuntur a Jure Rom. diverso, ante omnia æstimandum, in quantum statuta in hoc potestas de rebus suis disponendi applicari queat, Lex enim sequitur naturam rei, circa quam fertur, & contrarium asserere idem est, ac quadrata miscere rotundis. Hoc olim mirum quantum afflixisse patriam, quum JCti non erubescerent indistincte ad normam legum Rom. decidere negotia patria, quid quod publica, deinde restauratores & purgatores jurisprudentiæ patriæ admodum doluerunt, quos inter nominasse sufficit CONRINGIVM & SCHILTERVM. Hæc fata experta sunt pacta successoria, maxime dotalia, quæ quum juri Rom. non convenirent, maluerunt JCti ea ad classem ultimarum voluntatum, in specie donationum mortis caussa, detrudere, eodem modo bonis hereditariis affinxerunt qualitatem fideicommissorum, quem errorem magnus alias KNIPSCHILDIVS errat; ratio est, quod videntes effectus non penetrarent eorum caussas, in jure Rom. illas quærentes. Quia itaque remanserunt multa domestica instituta, facultatem disponendi de plurimis rebus admodum coarctantia, servatæ veluti ex naufragio tabulæ, nantes in gurgite vasto, quibus ut plurimum per statuta cujusvis regionis contra imminentem a jure Rom. cladem cautum est, exempla quædam restrictæ per ultimas voluntates de rebus disponendi facultatis, nisi consensu eorum, quorum interest, adnectere liceat.

§. XVII.

Et sanæ rationi maxime convenit, neminem de re

vel in totum vel in tantum aliena disponere posse, & fundamentum illud jurisprudentiæ Rom. Leges XII. Tabb. expresse sanciunt: Paterf. uti legassit super familiæ pecuniæ tutelæve *suæ* rei, ita jus esto, VLPIAN. *fragm. XI. 14.* idem extat *in L. 120. D. de V. S.* uberius hoc argumentum agit MANTZ. *de testam. val. & inv. Tit. 6. qu. 12. n. 8.* ex formula igitur cujusvis regionis dijudicandum, quænam res vel plane non, vel non in totum sint possessorum in sensu juris Rom. propriæ, nec hoc tamquam peregrinum, & quod rerum cujusvis provinciæ diversitatem in totum evertere non potuit, pro norma est accipiendum, quamquam ea, quæ in illo de rei alienæ legato sancita sunt, suo modo adplicari possint, quo pertinet *§. 4. J. de leg. L. 74. D. de leg. 1. L. 1. pr. de leg. 3.* nec non optime fundata regula, quod nostrum, sine facto nostro ad alium transferri nequit, *L. 15. de R. I.* Quoad Germaniam, inter omnes constat, summam patrimoniorum divisionem & fuisse & partim adhuc esse, quod illa consistant in bonis vel feudalibus vel allodiis, ut hodie efferunt Lehn und Erbe, de priorum natura & indole nulla est lis; verum quoad hæc magna olim fluctuatio, sed hodie sub eorum nomine plerumque intelligunt bona avita die Stamm-Güther, moribus & legibus patriis pro conservandis familiis optimo consilio stabilita. Ipsius vocabuli derivatio optime ex populari idiomate septentrionalium gentium petitur, quod habent LOCCEN. in *Lexico Sueo-Goth.* ut & STIERNHOECK *C. 2. de jure Sueon. & Goth. vetusto*, ipsam rem cum MARTIALI *10. Epigr. 27.* definire possumus: *Res non parta labore, sed relicta*, perpetuo enim opponebatur allodium acquæstui & propria industria acquisitis, & plerumque inter eorum requi-

requiſita ponunt, ut ſint immobilia, COTHMAN. *Lib. 3. Reſp. 11. n. 24.* De his dubio procul intelligendus textus *Juris Prov. Sax. Lib. 1. art. 34.* quem vulgaris interpres ita ſiſtit: ſine licentia judicis poteſt quis ſuam alienare proprietatem, dum ab heredibus conſenſus præbeatur, idem & dicit *art. 52.* ſed vocula proprietas admodum turbavit conceptus, quum advocaverint poſtea ſtatuta Rom. de proprietate, quippe quibus portenti loco eſt illud, de proprietate diſponere non poſſe. Quum itaque hodie res ſit clara, bona avita eſſe in dominio totius familiæ, ex quo nomen fideicommiſſorum inconvenienter licet illis datum, hoc canonis loco habendum: de bonis allodialibus & avitis præſens poſſeſſor nullo modo diſponere poteſt, niſi cum conſenſu agnatorum familiæ, hocque non accipiendum forſan de diſponendi facultate per ultimam voluntatem, quippe quarum uſus ſero Germanis innotuit ſolennis, qui etiam nihil magis a rationibus ſuis alienum putabant quam generatim diſpoſitiones moribundorum, & ad has averruncandas præſcripta habebant certa valetudinis experimenta, ſubeunda ab iis, qui quæcunque bona etiam mobilia in alterum transferre volebant, quæ exhibentur in *J. P. S. alleg. art. 52.* ut & *in Weichbild. art. XX. n. 30.* nec non *jure Suev. C. 379.* ſed de diſpoſitione inter vivos ſ. traditione, cujus antiquam formulam habet BALUZ. *Lib. IV. Capitul. c. 19.* eique plerumque actus quidam ſymbolici accedebant, quos ex antiquitatibus declarat Ill. BOEHMER. in *Jur. eccl. tit. de Inſtit. §. 6. ſeq.* exinde ipſæ conventiones de transferenda re plerumque vocatæ ſunt traditiones, quarum ingentem numerum exhibet SCHANNAT. *in Corpore tradit. Fuld.* ſed haut facile quam inveneris,

 quæ

quæ non expressam consensus agnatorum mentionem injiciat.

§. XVIII.

Ex his facile constat de maxima differentia successionis Romanæ & Germanicæ, illis enim successio voluntaria regula erat, nisi paucis exceptis personis, intuitu quarum erat necessaria, & dependebat ex nutu possessoris, cui res suas tribueret ultimo elogio, sed his multi casus sunt successionis necessariæ ex ipsa rerum qualitate oriundæ, propter quam non est in possessoris arbitrio, cuinam relinqueret sua bona, sed aut pactis successoriis, quæ Germani nullo non tempore religiose observarunt, STRYK. *de succ. ab intest. Diss. VIII. C. 1. §. 4.* aut legibus determinatum, ad quem illa bona transirent, nec ultimo possessori integrum est unum alterumve migrare, ac proinde exulat dispositio per ultimam voluntatem tamquam unilateralem nisi consentientibus illis, quibus aut pactis aut legibus jus erat quæsitum. Regula generalis est successionis in bona feudalia & avita, quod non ultimo defuncto, sed primo acquirenti, qui rem in familiam, in qua nunc est, transtulit, succedatur, ideoque hæc bona dicuntur venire ex pacto & providentia majorum, quod idem & usuvenit in successione in regna & principatus, proximior enim succedit non ex testamento ultimi, sed ex legibus reip. & jure proprio, ut ostendit ZIEGLER ad GROTIUM *de J. B. & P. L. 2. C. 7. §. 12.* Concluditur proinde, testamenta de ejusmodi rebus, quæ ignorant dispositionem possessoris, nisi accedente eorum, quorum interest, consensu, absque hoc plane nulla esse. Hunc in censum referri possunt Testamenta de feudo antiquo, ex

ex generali prohibitione *1. Feud. 8.* nisi accedat consensus domini directi non solum, sed & agnatorum, VULTEJ. *Conf. Marp. Vol. IV. Conf. 26. n. 310. & 473.* de quo plane non dubitatur, quia naturæ feudorum e diametro repugnant, quæ ab initio nihil erant nisi salaria pro servitiis præstita, nec vasallus hodie majori quam dominii utilis jure utitur, & feuda plerumque adquirenti conceduntur pro se & suis descendentibus habilibus, quibus jus exinde quæsitum non nisi consentientibus inverti potest, idque eo minus mirandum, quum in genere vasallo non competat jus absque consensu domini & agnatorum in feudo aliquid mutandi, sic in principatibus Germ. etiam hodie requirunt consensum domini, sc. Imperatoris & agnatorum, ad introducendum jus primogenituræ SPRINGSFELD. *de appanag. Cap. 5. n. 48. & 59.* BETS. *de pact. illustr. fam. Cap. ult.* Bona avita & hodie imitari conditionem feudalium apprime satis asserunt BERLICH *P. 2. Concl. 13. n. 8.* MODEST. PISTOR. *Vol. 2. Conf. 50. n. 22.* propter eamdem de illis disponendi facultatem restrictam, quæ ex eadem successionis necessariæ ratione orta est, quia item ut in feudis non ultimo defuncto, sed primo acquirenti succeditur jure proprio & condominii totius familiæ, ob quod facultas per ultimam voluntatem ordinandi non potest non exulare, nisi accedente consensu agnatorum, quorum subest præjudicium, allegati supra textus hoc clare innuunt, & pro conservando hoc antiquo ritu tam innumera extant pacta familiarum, omnem alienandi potestatem possessoribus adimentia, nec non multorum locorum statutis eidem cautum, ut in jure Hamburg. & Lubec. in quibus bona hereditaria accurate satis ab acquisitis discernuntur, vid. *Jus Lubec. Lib. 1. tit. 10. art. 6.* & MEVIUS *ad h. l.* GISEBERTUS *in peric. statut. barmon. Part. 2. art. 33.*

§. XIX.

Aliud successionis necessariæ exemplum est intuitu conjugum, quam necessitatem modo leges modo pacta producunt, maxime dotalia, quorum per omnem Germaniam usum asserit STRYK. *de succ. ab int. Diss. VIII. C. 5. §. 1. cum alleg.* turbata tamen admodum sunt per Juris Rom. introductionem

ut

ut ſupra dictum, quod hæc pacta ſucceſſoria plane horret, nec ex dotalibus hereditates deferri patitur, *L. 5. C. de pact. conv. ſup. dot.* Diſtingunt hodie an per modum pactorum an vero per modum ultimæ voluntatis inita ſint, quod ultimum ex numero teſtium & contentorum ad diſpoſitionis m. c. naturam inclinantium tenore colligunt, unoque ore affirmant, hæc pro lubitu revocari poſſe, CARPZ. *P. 2. C. 43. D. 10.* Exinde quoque ortum habet quæſtio de facultate mutandi teſtamentum reciprocum inter coniuges, quam BRUNNEM. *Cent. 2. Dec. 24.* id. *ad L. 22. D. de leg. 3.* ex principiis Latii, in quibus tamen difficile erit exemplum hujus generis proferre, adfirmandam credit, CARPZ. *P. 3. Conſt. 2. Def. 13. n. 7.* pro negativa militante, eo in caſu maxime ſi uxor ſubſcribendo conſenſum præſtiterit diſpoſitioni mariti, de ejus bonis in utilitatem liberorum ordinantis. Quoad leges, illas in quavis regione ſingulares habent, ſucceſſionem conjugum inter ſe ordinantes, ex quo prodiit nomen portionis ſtatutariæ, quam plerique agnoſcunt effectum antiquæ communionis bonorum, quæ olim per omnem obtinuerit Germaniam, atque ideo nullus eſt, qui dubitet, nulli conjugum eſſe poteſtatem hanc portionem legalem alteri invito aut imminuendi aut adimendi niſi conſentienti, COTHMANN *Vol. 1. Conſ. 74.* GAIL. *2. Obſ. 87. n. 17.* BERLICH. *P. 3. Concl. 9. n. 15. ſeq.* exemplum eſt in fœmina Saxon. quæ marito ſucceſſionem in bona mobilia nullo modo invertere poteſt, ut expreſſe conſtituit Elector Auguſt. *P. 3. Conſt. 7.* v. CARPZ. *ad eamd. D. 7.* niſi ſi illa in pactis dotalibus ſibi de iis diſponendi facultatem reſervaverit, ID. *Def. 13.* quilibet enim favori pro ſe introducto renunciare poteſt, & actus, qui in favorem alterius nullus eſt, ad evitandum illius præjudicium, illo conſentiente ſuſtinetur *L. 14. C. de procur. & ibi DD.* quod & idem intuitu ſucceſſionis pactitiæ aſſerendum eſt, quippe cujus unus quid quod major quandoque favor eſt inter Germanos, qui ſucceſſionis teſtamentariæ, quum illa non ſolum hanc, ſed & eam ab inteſtato ceſſare faciat, ut in pactis ganerbinatuum videri poteſt, ideoque & idem interpretandi principium hic locum habet, quod extat in *C. 6. X. de donat.* in contractibus ple-

plenam, in testamentis pleniorem, in beneficiis plenissimam interpretationem adhibendam esse: nec notatu injucundum eodem odio, quo Romani pacta successoria, econtrario favore ultimas morientium voluntates prosequebantur, Germanos inverso ordine eo odio ultimas voluntates, & favore pacta successoria prosecutos esse. Ac proinde successiones maxime inter conjuges secundum normam initorum pactorum ordinandæ sunt KOHL. *de pact. dot. P. 2. n. 81. seq.* extante vero testamento, præcipue de consensu alterius conjugis an accesserit quærendum, si de ejus præjudicio agitur.

§. XX.

De consensu liberorum gravata per ultimam voluntatem portione legitima §. 11. dictum, in jure Rom. illum perquam arctis limitibus circum scriptum esse, nec ex generali testamenti adprobatione colligendum, maxime vivente adhuc patre promissio facta de non detrahenda legitima pro nulla declaratur *in L. 35. §. 1. C. de inoff. test.* nec eo jure differentia est inter filios & filias, licet quoad has DD. sæpius doti tribuerint favorem portionis legitimæ: verum quoad patria jura certum est, & leges antiquæ loquuntur, filias exclusas fuisse a successione maxime in bona immobilia, & proinde legitimam Romanam ignotam plane fuisse, eisque præter dotem ex bonis paternis nihil competiisse, quas leges producit PAGANINVS GAVDENTIVS *in Diss. de success. famin.* GVNDLING. *Diss. de renunc. hered. filiar. illustr. C. 1. §. 12.* nec non Ill. quondam Cancell. de LVDVVIG in *Reliq. MSt. T. VII. L. 2. P. 1. c. 27.* ad conservandos quos mores condita sunt pacta inter familias illustres & nobiles, quibus determinant successionem fœminarum, cum conservatione bonorum hereditariorum, restringuntque testamentorum usum, quale pactum commune nobilitatis immediatæ in circulis Suevico, Franconico & Rhenanis extat apud LVNIG. im teutschen Reichs-*Archiv. P. spec. Contin. III. p. 14. n. 7.* inde & ortum traxerunt renunciationes filiarum successionis in bona parentum, de quibus fuse *alleg.* STRYK. *l. c. C. 10.* quæ ex veriori sententia validæ essent absque omni juramento, quum regulariter nihil nisi jus antiquum contineant & confirment, sed amor juris communis accessionem juramenti produxit, cujus inevitabilem necessitatem defendunt CARPZ. *P. 2. C. 35. D. 6.* CHRISTIN. *V. 1. D. 179. n. 9. aliique,* quia crederent legitimæ vivo patre renunciari aliter non posse nisi accedente hoc vinculo religioso, quod quum in *C. 2. de pact. 6.* fancitum sit, & hodie si non necessitatis, tamen consilii est.



NOBILISSIMO AC CLARISSIMO

DN. DOCTORANDO

S. P. D.

D. RVDOLPH. CHRISTOPH. HENNE,

INSTITVTIONVM IMPERIALIVM PROF. PVBL. ORD.

Neminem in admirationem rapere debet, perplures illorum, qui nostra ætate legum studio operam navant, votorum suorum non compotes fieri, alii enim in pertractandis literis, quæ ab humanitate nomen ducunt, justo remissiores sunt, easque tantum primis, ut ajunt, labris degustant, alii magis corticem quam vim & potestatem legum sequuntur, alii solummodo quid fori usus servet, sibi curæ cordique esse sinunt, paucissimi vero mediis, quibus animus solida juris peritia & prudentia imbuitur, utuntur. Horum quoque Tu Clarissime Canditate vestigia undique premenda putasti, nihil enim Tibi prius, nihilque ab ineunte ætate antiquius fuit, nisi ut majorum Tuorum, nimirum Proavi, Avi & Parentis, (quorum in Academiam nostram egregia merita, nulla unquam delebit oblivio) exempla Tibi ob oculos poneres. Enimvero per aliquot annorum spatium in iis quæ jurisprudentiæ adjumento & ornamento sunt Te abdidisti, quæ in celeberrimorum virorum scholis, justo ordine & non interrupta serie frequentatis, audivisti, in succum & sanguinem convertere Tibi voluptati fuit, quam ob rem hoc solummodo reliquum est, ut rationes solertiæ Tuæ publice edas, & studiorum Tuorum fiducia fretus, specimen Tuum inaugurale, (quod multi reformidant) sine Præside defendas, de quo conatu nonsolum Tibi lætus gratulor, sed etiam in votis habeo, ut honores quibus mox ornandus es, cedant in reipublicæ commodum, Tui ornamentum, novisque in dies felicitatis accessionibus occasionem præbeant, Vale. Erfordiæ d. XXVI. Maji M DCCXLVI.

* * *

FACVLTATIS JVRIDICÆ DECANVS,

HENRICVS MELCHIOR SCHÜTTE, JCtus,

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS ADSESSOR, JVR. AC PHILOS. PROF. PVBL.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



Hereditatem vel per teſtamentum, vel ab inteſtato, interdum quoque, præſertim hodie, per pacta deferri, tralatitium eſt. Complures tamen teſtamentarias diſpoſitiones e republica exturbatum iverunt: cauſantes, ex dominio quidem fluere facultatem alienandi inter vivos, ſed cum quis moritur, non amplius ad illum ſpectare res illas, quæ vivis ſolis inſervire queunt, adeoque perperam de iis diſponi in caſum, quo dominium amiſſum eſt; admiſſoque teſtamentorum jure, nunquam defuturos, qui teſtamenta nulla ac inofficioſa condant, imo falſa ſupponant, hincque lites in judicum crucem, litigantium damnum, & cauſidicorum lucrum, nunquam intermorituras eſſe. Ac profecto, judices nullæ fere quæſtiones magis exercent fatigantque, & ad panem lucrandum cauſarum patronis magis faciunt, quam de hereditatibus & ultimis voluntatibus. Sic Baldus ſubinde de ſe profeſſus eſt, quod de ſola ſubſtitutionum materia conſulendo, ultra 15000. ducatorum conſecutus fuerit. HEINECC. *Elem. jur. civil. sec. ord. ff. libr. 28. tit.* 1. *§.* 1. JAC. FRIDER. LUDOVICI *Hiſtor. Pand. §.* 8. Sed ſalva res eſt. Nulla enim vis eſſet dominii, niſi domino liceret ejuſmodi quid ſancire, quod etiam poſt mortem ejus valeret. Ecquis quoque non triſte atque lugubre fateatur, cum ſui patrimonii juriſque univerſi expectare ſucceſſorem, qui legum, heredi-

tates deferentium, fiducia fretus & audax, proterve contemnit ac negligit sanguine proximum, nec posse judicio supremo his bona relinquere, qui vel plane extranei, beneficiis cumularunt, aut jugi obsequio multisque amicitiæ tesseris sibi paraverunt successionis spem. Neque dubium, quin ad tuendum augendumque patrimonium alacriores longe sint futuri mortales, si facultates suas possint illis relinquere, quos maxime diligunt; contra vero in otium, luxuriam, dissipationem, profusionem rerum proni admodum, nihil sæpe magis in votis habituri, quam ut cum vitæ fine bonorum quoque finis fit, si illa suis propinquis ad successionem a lege vocandis invideant omnimodo, nec ulla ex parte cupiant quæsita, neque tamen testamento eos a sua possint hereditate depellere. Præterea propter testamentorum abusum, non statim eorum usus est tollendus. Accedit, quod contra testamentorum abusum varia in jure prodita sint remedia, nullitatis ac inofficiosi querelæ, pœnæ in falsarios statutæ, & quæ sunt ejus generis alia. JO. VOET. *Commentar. ad Pand. libr. 28. tit. 1. §. 2.* Testamentum, missa hujus vocis etymologia, quod quasi *testatio mentis* sit, *pr. J. de testam. ordin.* explosa a GEORG. BEYERO h. t. a JCto MODESTINO describitur *per voluntatis nostræ justam sententiam, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. l. 1. ff qui testam. fac. poss.* Licet jure Romano, de universitate bonorum testamenta fieri debuerint, nec paganus pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potuerit *l. 74. ff. de hered. inst.* secus tamen se res habet jure Germanico statutario. Quodsi enim hoc jure, de bonis acquisitis, vel mobilibus, defunctus tantum testatur, in his succedunt heredes testamentarii, in hereditariis vel immobilibus vero heredes ab intestato; ideoque non repugnat, defunctum, partim testatum, partim intestatum decedere. STRYK. *Us. mod. ff. libr. 28. tit. 5. §. 5. & 8.* TOB. JACOB. REINHARTH *select. Obs. ad* CHRISTINÆI *decis. Vol. I. Obs. 77.* Pluribus argumentum hoc JO. GOTTL. HEINECC. *dissert.*

differt. singulari de testamenti factione jure germanico arctis passim limitibus circumscripta persecutus est. Deinde, cum testamentum vocetur *justa*, id est, solennis voluntatis nostræ sententia: consequens est, ut solennitates omnes observari oporteat, nullaque sine periculo nullitatis possit prætermitti, *l. 17. l. 25. C. de fideicomm.* Solennitates vel *interna* sunt, vel *externa*, atque hæ posteriores variæ. Sed nova forma condendi testamenta, coram Parocho & duobus testibus, a Summo Pontifice, ALEXANDRO III. *in c. 10. X. de testam. & ult. volunt.* præscripta est. In Belgio idem prope observatur, & Notarius cum duobus testibus sufficit. Alibi sufficiunt duo Senatores, licet non publica Senatus auctoritate ablegati, imo cives duo possessionati, si Senatores haberi nequeant. GEORG. BEYER. *Posit. ad ff. libr. 28. tit. 1.* JO. ZACH. HARTMANN. *de juris Canonici testamento Lubec. testamenti causa.* Secundum consuetudinem ergo singulorum locorum rite facta testamenta, ubique valent, etiam ubi diversæ solennitates receptæ sunt, vel jus civile observatur. GAIL. *libr. 2. Obs. 123.* JO. A SANDE *decis. Fris. libr. 4. tit. 1. def. 14.* HEINECC. *Elem. jur. civil. sec. ordin. inst. libr. 2. tit. 10. §. 500.* Quorum sententiam alii temperant, eamque quidem admittunt de rebus mobilibus, quæ personam, cujus ossibus cohærent, sequuntur: immobilium vero intuitu ad leges loci, ubi sita sunt, in condendo testamento respiciendum esse, censent. Sed recte distinguit VINNIUS *libr. 2. select. quæst. cap. 19.* inter formam seu ritum disponendi, & rem ipsam, de qua disponitur. Quæ enim in rem concepta sunt statuta, rem quoque afficiunt, eamque, ubicunque est, legibus fori rei sitæ subjiciunt: e contrario statuta actus tantum solennitatem definientia, neque rem, neque personam disponentis afficiunt, sed formam solum actus determinant. In omnibus vero actibus valide expediendis ad solennia loci, ubi geruntur, respiciendum est. *l. 6. ff. de Evict.* JO. GOTTFR. SCHAUMBURG. *Annot. in Struv. libr. 2. tit. 15. aph. 14.* Cumque nihil sit, quod magis hominibus debea-

tur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium *l. 1. C. de sacrosanct. eccles.* imo publice expediat, suprema hominum judicia exitum habere *l. 5. ff. testam. quemadm. aper.* utique testamentorum favor tantus est, ut in dubio interpretatio fieri debeat pro sustinenda ultima voluntate. CASP. MANZ. *Special. in jur. comm. vot. ult. volunt. & testam. sustin. favor.* ubi ad specialia descendit, & singularia adfert. In praxin, æquitatem pariter ac justitiam *cit. c. 10. X. de testam.* inquirerem, nisi mihi otium facere constituisset

NOBILIS ET CLARISSIMVS JVRIVM CANDIDATVS,

DN. JOANNES DAVID STENGERVS,

qui recitatione solenni, quam lectionem cursoriam vocant, illud illustrabit. Ubi hic sit natus, qua ratione educatus, sub quibus in literis & legibus profecerit, commemorare fas est. Lucem primam heic Erffurti die 27. Februar. anni hujus seculi vigesimi primi adspexit. Patrem veneratus est Dominum VOLCKMAR. WILHELM. STENGERVM, in perantiqua nostra academia Hierana Politices Profess. Publ. Ordinar. & Facult. Philos. nec non totius Universitatis Seniorem, Collegam olim meum conjunctissimum & desideratissimum, cujus vitam & insignia merita, in *Erfordia literata*, descripsit compater meus & amicus in paucis olim carus, celeberr. MOTSCHMANNVS: matrem vero BARBARAM DOROTHEAM, CHRISTOPH. WELZII, mercatoris quondam hujus urbis famigeratissimi filiam, post paucos a puerperio dies, sibi præmatura morte ereptam etiamnum luget. Literis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, tam in schola Prædicatorum, quam in Gymnasio nostro Senatorio, operam navavit sedulam: ac cum ex ephebis vix excessisset, luculenta edidit ingenii felicioris & avi-

tæ

tæ virtutis documenta, cumque in juvencis & equis sit patrum virtus, nec imbellem feroces aquilæ columbam progenerent, suo exemplo comprobavit, fortes creari fortibus & bonis. Academiæ patriæ anno MDCCXXXVII. nomen suum dedit, ac scholas philosophicas affinis optimi, Professoris JUSTI CHRISTOPHORI MOTSCHMANNI frequentavit. Hoc vero, elapso nondum semestri, ad manes majorum concedente, in vicinam academiam Salanam se contulit. Ubi non tantum prælectionibus stili cultioris latini, philosophicis, mathematicis & historicis summe Rever HALLBAUERI, excellentissimi HAMBERGERI, celeberrimorum Doctorum, SCHIERSCHMIDII, DARIES & consanguinei FUCHSII, ac Philosophiæ Magistri clarissimi, WEGNERI, sed etiam Patruelis sui, Jurium Doctoris egregii, GEORGII PHILIPPI STEIGERI, cujus summam diligentiam ac plane paternam fidem laudat, recitationibus in universum jus civile, Canonicum & praxin fori, & quidem iteratis vicibus, nec non MOTERI in institutiones juris, magno cum fructu interfuit. Juris vero publici & feudalis notitiam magni nominis viro, JO. GEORGIO ESTORI, acceptam refert, ac artem referendi ex actis judicialibus viro longe celeberrimo, JO. GOTTFR. SCHAUMBURGIO, debet. Exacto ibidem triennio, Triumvirorum illorum de omni jure optime meritorum, JO. PETR. a LUDEWIG, JUSTI HENN. BÖHMERI, & JO. GOTTL. HEINECCII fama, quæ per omnium ora volitabat, eum in academiam Fridericianam pertraxit, ac duobus prioribus integro biennio usus ducibus, juris publici, canonici ac civilis amplissimum campum, una cum iis, quæ ad praxin pertinent, ne aliquando cruda studia in forum propelleret, denuo emensus est: spem vero atque exspectationem, quam de HEINECCIO perdiscendi juris Germanici causa, conceperat, mors ejus inopinata fefellit ac frustrata est. In patriam redux, non sotadici & fescennini argumenti carmina Milesiasque fabulas evolvit, sed ea, quæ in collegiis audivit, in succum, quod ajunt, & sanguinem convertit, ac præstan-

præstantissimorum juris interpretum commentationes diurna nocturnaque versavit manu. Tandem apud nostrum ordinem nomen suum est professus, ac, ut ad rigorosum admitteretur examen, modeste petiit. Annuimus votis honestissimis, ac textus ex utroque jure, qua canonico, qua civili, cum eo communicavimus, quos docte non solum resolvit & enodavit, sed & in ipso examine talem se nobis ubique probavit, ut omnium congratulantium suffragiis, dignus judicatus fuerit, cui cathedra juridica aperiretur, & summi in utroque jure honores, in tantorum feliciter exantlatorum laborum auctoramentum, decernerentur. Ea de causa, proximo die Jovis, *in c. 10. X. de testam.* commentabitur, ac dissertationem inauguralem

DE VLTIMA VOLVNTATE ADPROBATIONIS ET CONSENSVS INDIGA

a dissentientium dubiis, & quidem sine Præside, vindicabit. Quos actus solennes, ut Magnificus Dominus Academiæ Rector, nec non reliqui Academiæ Proceres ac cives, honorifica sua præsentia illustriores ac splendidiores reddere velint, & ordinis nostri & meo nomine, ea, par est, observantia & humanitate, oro rogoque. Public. sub sigillo Fac. Jurid. Dominica Exaudi A. O. R. MDCCXLVI.

